

1437. Febr. Martii 6. Floris

Ex orig. Arch. Reg. Poloniae

Littera Sigismundi Ducis, qua pro-
mittit, quod Ducatus Lithuanie
post mortem eius ad regem & Regnum Poloniae
devolvi debeat.

59

Nos Sigismundus Dei gratia Magnus dux Lith-
wanie, Russie &c. Significamus tenore presentium
universis. Quomodo matura deliberatione prehabita no-
strorum Prelatorum, Ducum, Baronum, Boyarorum,
& Consiliariorum sano freti consilio taliter cum Sereni-
ssimo principe dno. Wladislao Dei gratia Rege Poloniae
Lithuanieq; Principe supremo et herede Russie, &c. dno
& Nepote nro carissimo Regno & Corona suis Regni Po-
lonie conclusimus, terminavimus, & firmavimus,
firmamusq; tenore presentium mediante litteras in-
scriptio num priore. s. nras inter ^{nos} et dnum Wladislauum
duce memorie Regem Poloniae Coronam suam et
Regnum Poloniae ac ducatum Magnum Lithuanie
confectas. — non violantes sed eas in suo robore solide
remanere decernentes. Quod Magnus ducatus Lithuanie
& Russie ac etiam omnia castra, Terra, et dominia eius-
dem ducatus Magni Lithuanie, & Russie, videlicet Wyhu
cum omnibus aliis castris, terris, & Dominis in eodem
ducatu magno Lithuanie & Russie ubicumq; et ubilibet
iacentibus ac etiam cum aliis terris et dominis quibus-
libet & quibuscumq; que olim dñus Alexander alias
Witowdus magnus dux Lithuanie frater noster dilec-
ctus possedit, et tenuit, & que nunc nobis subiecta sunt,
& in posterum virtute nra subiactas, cum omnibus

& singulis ipsorum utilitatibus, redditibus, fructibus,
ac aliis quibuscumq; pertinentiis, coherentiis & appendiis,
universis, ad ipsa Castra terras & dominia pertinentibus,
pro ut in suis limitibus & gadibus longe, late, & circum-
ferencialiter distincta sunt & limitata, ad ipsum Dñum
Regem Successores suos, regnum & Coronam Regni Po-
lonie, post nr̄um felicem decessum devolvi debent, & de-
volventur temporibus perpetuis & in ævum, integraliter
& ex toto absq; ulla diminutione, patrimonio nr̄o vide-
licet Traky duntaxat, reservato, cum omnibus aliis Ca-
stris, terris, dominiis & districtibus, in eodem patrimonio
nr̄o ubicumq; & ubilibet iacentibus integraliter & ex toto,
cum omnibus & singulis eorum utilitatibus, redditibus,
fructibus, ac aliis quibuscumq; pertinentiis, coherentiis,
& appendiis, ad ipsum patrimonium nr̄um spectantibus,
universis, pro ut in suis limitibus & gadibus, & circum- „ longe, late
ferencialiter distincta sunt & limitata, tali ordine pro ut
prioris nr̄e literæ de super confecta canunt & demonstrant.
Quequidem Castra supra dicta videlicet Wyhno & alia om-
nia Castra, terras, & dominia, ducatus Magni Lithvanie,
& Russie predicti unquam alieni invito nr̄o dabimus,
ad tenendum, nisi prius in manibus nr̄is corporale
preestet iuramentum & suis lris patentibus se inscribat,
quod huiusmodi Castra, terras, dominia, pro nobis tenebit
fideliter, quamdiu agimus in humanis & post decessum
nr̄um nulli alteri præterquam ipsi dño regi, regno,
vel Coronæ sue Regni Polonie, De huiusmodi Castro
terra & dominio, aut Castris, terris & dominiis conde-
scendet & realiter operis effectum huiusmodi Castri,
terram, & dominium, seu Castra, terras & dominia

ipsi dno regi Regno et Coronae sue regni Poloniae
 resignabit, et hoc ipsum quotiescumq; fieri contigerit
 videlicet aliquem Capitaneum seu tenentarium ab hac
 vita decedere seu per nos immutari, ab altero quo-
 libet quem sui loco instituerimus corporale tenebimus
 + recipere iuramentum, et huiusmodi Inscriptio-
 nis patentem ab eodem Capitaneo praestante iuramen-
 tum receptam et sigillo suo munitam ipsi dno regi
 regno et Coronae suis tenebimus destinare. Si vero
 dnus Rex Regnum et Corona de huiusmodi sua seu
 suis transmissa vel transmissis non essent contenti
 + nec videtur eorum voluntati sufficere, ex tunc ipse dnus
 + Rex Regnum et Corona spirituales nuntium trans-
 mittent qui nomine praefati dni regis, regni et Coro-
 nae, ab eodem Capitaneo aut Capitaneis super huius-
 modi fidelitate corporale recipiat in presentia nra
 una cum sua patenti inscriptionis iuramentum. Quae
 omnia et singula suprascripta verbo nro Ducali sub
 honore et fide nris et onere praestiti iuramenti sine dolo
 et fraude promittimus observare, in omnibus clausulis
 atq; punctis. Nos praeterea Prelati, duces, Barones,
 Nobiles, Boyari, et proceres terrarum Lithuaniae et
 Russiae, infrascripti promittimus sub fide et honore
 nris et onere praestiti iuramenti sine dolo et fraude
 quod omnia et singula supradicta, prelibatus dnus
 noster Magnus Dux Sigismundus dnus noster gratiosus
 sus domino regi praedicto regno et Coronae sue regni
 Poloniae servabit, tenebit, et fideliter sine ullo colore
 exequetur nunc et semper quamdiu aget in humanis,
 Nosq; cum ipso in vita sua et post decessum suum

tenebimus et fideles exequemus perpetuo et inuicem
videlicet Nos Mathias Dei gratia Episcopus Vyhniensis
Krzysztof alias Ostek Castellanus et Dewgevd pala-
tinus Wyhniensis ac Herizgal Wolimurthowicz
Harum quibus Sigillum nrum est appensum
testimonio literarum. Actum et Datum in Gredno
feria sexta ipso die Sancti Nicolai Confessoris
et pontificis gloriosi Anno Domini Millesimo
Quadringentesimo tricesimo septimo.

Takopia przepisana z Originatu
pargaminowego 13. Sierpnia Roku
1782. Udotu wiszka pieczę na Zawiasce
pargaminowej zgineta. Laswadram
Adam Maruszczyński
Biskup Hłoczyński